

GEORGICON IV

interea teneris tepefactus in ossibus umor
 aestuat, et uisenda modis animalia miris,
 trunca pedum primo, mox et stridentia pennis, 310
 miscentur, tenuemque magis magis aëra carpunt,
 donec ut aestiuus effusus nubibus imber
 erupere, aut ut neruo pulsante sagittae,
 prima leues ineunt si quando proelia Parthi.

Quis deus hanc, Musae, quis nobis extudit artem? 315
 unde noua ingressus hominum experientia cepit?
 pastor Aristaeus fugiens Peneia Tempe,
 amissis, ut fama, apibus morboque fameque,
 tristis ad extremi sacrum caput astitit amnis
 multa querens, atque hac adfatus uoce parentem: 320

'mater, Cyrene mater, quae gurgitis huius
 ima tenes, quid me praeclara stirpe deorum
 (si modo, quem perhibes, pater est Thymbraeus Apollo)
 inuisum fatis genuisti? aut quo tibi nostri
 pulsus amor? quid me caelum sperare iubebas? 325

en etiam hunc ipsum uitae mortalis honorem,
 quem mihi vix frugum et pecudum custodia sollers
 omnia temptanti extuderat, te matre relinquo.
 quin age et ipsa manu felicis erue siluas,
 fer stabulis inimicum ignem atque interfice messis, 330
 ure sata et ualidam in uitis molire bipennem,
 tanta meae si te ceperunt taedia laudis.'

At mater sonitum thalamo sub fluminis alti
 sensit. eam circum Milesia uellera Nymphae
 carpebant hyali saturo fucata colore, 335

Drymoque Xanthoque Ligeaque Phyllodoceque,
 caesariem effusae nitidam per candida colla, 337